

opifica iuuanda, ad commerciorum, oeconomiae, et agriculturae incrementa prouehenda pertinent, dum omnia, inquam, ea ita procurantur, ut excitatissima quaeque ingenia, praemii lantissimis propositis, ad bene promerendum de patria, de litteris, de cuiusuis artis progressionibus et lautitiis exsuscitentur, inflammentur.

Nouit FRIDERICVS Serenissimus, nouit XAVERIVS, nouit Purpuratorum et administrorum fidelissimorum prudentia, quanti intersit ad rerum publicarum felicitatem, artes florere, scientias non negligi, artificibusque et ingeniis excitationibus praemia constitui liberaliora.

Sit fortis princeps, sit animo inquietissimo, appellatur hostium terror et fulmen, summis efferantur laudibus arma eius uictoria, extollatur in proferendis imperii finibus eius felicitas, sit frugalis, sit continens, sit acerrimus scelerum uindex, at si cultiores negligit artes, si artium cultores et magistros situ et squalore obfolescere patitur, quam tandem utilitatem putatis, Auditores, eiusmodi Principem reipublicae esse allaturum?

Nisi enim ab infiditia ad saluberrimarum rerum cognitionem, a barbara immanique feritate ad mansuetiorem uitae cultum, a profligata pereundi perdendique omnia lubidine ad mentem meliorem recteque ujuendi studium traducantur ciues, quid aliud consequitur,

b 2

quam